

**Disputatio inauguralis medica de passione colica ... / Examini submittit
Joannes Matthaeus Valentini.**

Contributors

Valentini, Johann Matthäus, active 1667-1668.

Publication/Creation

Giessae Hassorum : Typis Friderici Kargerii, 1668.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k3ap6euc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE

PASSIONE
COLICA,

QVAM,

JESU CHRISTO, UNO ET VERO ARCHIATRO,
DOCENTE ET DUCENTE,

EX DECRETO ET AUCTORITATE

NOBILISSIMÆ ET GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

IN PERILLUSTRI AC FLORENTIS-

SIMO GISSENSI ATHENÆO,

PRO LICENTIA

summos in ARTE MEDICA Honores &

immunitates DOCTORALES

legitimè consequendi,

Placido ac solenni DNN. Academia

ANTISTITVM

Examini submittit

JOANNES MATTHÆUS VALENTINI,

MOENO FRANCOFURTANUS.

Ad Diem 27. Februarii in Auditorio solenni

Horis consuetis

GIESSÆ HASSORUM

Typis FRIDERICI KARGERI,

ANNO M. DC. LXVIII.

S. R. I.

LIBERÆ AC ILLUSTRIS

REIPUBLICÆ FRANCOFURTENSIS

SENATUI AUGUSTO.

*MAGNIFICIS, PERSTRENUIS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
ET PRUDENTISSIMIS
DOMINIS,*

D N N. PRÆTORI.
COSS. SCABINIS, SYNDICIS
CÆTERISQUE SENATORI
ORDINIS PATRIBUS
PATRIÆ,

DOMINIS MEIS GRATIOSIS,

Disputationem hanc gradualem cã, quã par est,
devotissimã reverentiã & submissione

D. D. D.

JOANNES MATTHÆUS VALENTINI
Mœno-Francofurtanus.

PRÆLOQUIUM.



Uid novi, hominem mori? ait magnus ille inter magnos Vir Seneca, *Consol. ad Polyb. cap. 30.* cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter est, respiciens scilicet ad miseras innumeras, quibus eandem à primis incunabulis, ulque ad ulti-

mos vitæ dies involutam circumseptamque observavit. Ecquæ enim pars ætatis, quæ dies, quæ hora labitur, quin homo adversi aliquid sustineat? Vitam à lachrymis auspiciamus, lacrymis maximam ætatis partem consumimus, ultimamque vitæ scenam præficæ ludunt. *Priusquam unum est injectum telum, tum instat alterum, Plaut. Pœn. 4. 2. 97.* Hinc Megara apud Senecam *Herc. fur. Act. 2.*

*Nulla lux unquam mihi
Secura fuisse. Finis alterius mali
Gradus est futuri.*

adeò ut Augustinus *Soliloq. cap. 2. §. 3.* miseriam hominum conquestus, eandem variis mortis modis terminet: *Hunc, inquit, mors necat febribus, illum opprimit doloribus; hunc consumit fames, illum sitis extinguit: hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo: illum perimit flammis: alium dentibus bestiarum ferociam vorat.* Hoc si quis negare

ausit, radere nomen suum ex catalogo hominum tentabit, ut hinc non opus sit, multis verborum ambagibus hominum miseras explicare. Ecce frequens ad mortem iter! Quibus si adjicias morbos, quibus corpus, dum vivit, infestatur & variè afficitur, næ! ingentem miserationum cumulum adjecisti! Hi autem etsi sint ferè innumeri, & quotidie veteres novis augeantur, præ cæteris tamen uti frequentissimus, ita acerbissimus esse videtur **DOLOR COLICUS**, seu **PASSIO COLICA**, corporis humani verè tormentum, ut quæ distendendo pungendo, gravando, violenter alterando, rodendo mordendo, & aliis modis, ubi sedem fixit cruciando, atque ita excarnificando, terebræque instar quasi perforando, ut Galenus *lib. 2. de loc. aff. c. 5.* loquitur, ut mors vitâ tam amarâ, & cruciatu tam exquisito longe melior esse videatur. Hujus igitur gravissimi morbi seu affectus naturam delineare, animus dum est, conatibus meis annuat atque faveat precor, **SACRO SANCTA TRINITAS!**

CAPUT I.

In Nominis rationem inquiri.

DE cõ ante omnia nos jubet esse sollicitos Galenus dum *i. M. M. cap. 5. in omnibus, de quibus quaritur ad rationem oportet assumi ipsum nomen*, inquit. Eo enim percepto in rei cognitionem melius veniemus, testatur Scaligero *Exercit. I. sect. I.*

In hoc spectanda veniunt tria præcipuè, *1. Ετυμολογία, 2. Συνωνυμία, 3. Ομονυμία.*

I. Etymologiam sive vocis derivationem quod attinet

net

net, nomen suum sortita est à parte affectâ, nimirum ab intestino *Colo*, quod inter crassa intestina, juxta Anatomicorum sententiam, est secundum: sic dictum, quia κοίλον *cavum* est, nempe καὶ ἐξοχόν, quoniam inter intestina est cavum maximè & amplum. Vel à verbo κωλύω, *retardo*, quoniam fæces alvi in eo retardantur ob cellulas, quibus intestinum hoc est donatum. Vel etiam ἀπὸ τῆ κολάζεσθαι, quod est *torqueri & angui*, ob tormina & diros cruciatus, quibus colon sæpè divexatur.

II. *Synonymiam* quod spectat: Varia hic affectus apud Autores sortitur nomina. Dicitur enim ὁδύνη κωλικὴ ἀλγῆμα κωλικόν, κωλικὴ διάθεσις. Latinis *Colica, Colicus dolor, Colica affectio* sive *passio*. Cornelius Celsus *lib. 1. cap. 7. & lib. 4. c. 14.* eam *plenioris intestini morbum & laxioris intestini dolorem* nuncupat. Germanis *die Colic / das Leibweh / oder das Grimmen / und reissen im Leib.*

III *Homonymia* geminam obfert significationem: *Generalem & Specialem*. In *genere* quemvis imi ventris insigniorem dolorem denotat: adeò ut etiam dolores ventriculi, uteri, renum & intestini ilei, qui iliaci aliàs vocantur, colici dici mereantur. Extat hæc significatio apud Galen. *lib. 6. de loc. aff. c. 2.* ubi, mirari se scribit, quomodo non solùm Medici, sed etiam plebeji & idiotæ vehementissimos quosque dolores, in quacunque etiam parte evenerint, ad intestinum colon retulerint, eosque colicos appellârint. In *specie* verò pro eo sumitur dolore, **cujus causa proxima in ipso intestino *colo* sedem obtinet, de quo jam nobis sermo erit.**

CAPUT II.

Naturam & partem Affectam declarat.

COgnito jam nomine, proximum erit, ipsa morbi penetralia ut ingrediamur, & ante omnia primò definitionem brevi perspicuitate in medium proferamus, ut ex eâ, quisnam morbi status, quæ conditio, omnibus innotescat; nec eâ omissâ cimmeriis in tenebris palpemus.

Definimus itaque cum plerisque hunc in modum: *Est tristis intestini coli sensatio, orta à solutione continui.*

GENERIS locò ponimus *tristem sensationem*, quæ alias ratio formalis doloris est, pertinetque ad *Symptoma depravatæ actionis*, ad idem ergò colicam passionem pertinere constat. Quando autem dictum affectum per *tristem sensationem* definimus, non tam ipsam sensibilibus objecti apprehensionem, quam potius illam molestiam, quæ ex ingrati objecti perceptione oritur, quamque sequitur *tristitia*, hic intellectam volumus. Interim, cum hæc cum sensatione sit conjuncta, facile Galeno *2. de loc. aff. c. 2.* subscribere, & αἰσθητικὴ ἀνίαγὰς seu *tristem sensationem* appellare possumus.

Ad *actionem autem depravatam* retulimus; Et licet non desint qui dubitent, an dolor ad certam læsarum operationum speciem referri possit, frustra tamen sua & aliorum torquent ingenia, cum dolorem depravatarum actionum nomine complecti, & indigitare videatur per quàmcommodum. Quamvis enim facultas hostē suum nō aliter excipiat, quam advenerit, frustrata tament fit actio, quia non servatur proportio ad organum. Hinc
quia

quia in dolore duo considerata veniunt, *objecti*, quatale, *perceptio*, & ejusdem, quatenus ingratum *apprehensio*, facile patet, maximè distinguendum esse inter ipsum objectum, quod percipitur, & inter id, quod ei adjungitur. Percipimus quidem objectum, sed quatenus ingratum, certo argumento, dolorem esse actionem depravatam, & ratione objecti & ratione organi, quod ab inconvenienti objecto corrumpitur & depravatur.

SUBIECTUM hujus atrocissimi & perforantis doloris posuimus in definitione esse *intestinum colon*, id quod cuiusvis ex indito affectui *nomine*, ex doloris *situ*, ex læsa intestini *functione* certum esse liquet.

CAPUT III.

Causam immediatam seu proximam, & medietas proximiores investigat.

DE *causarum* accuratâ cognitione, ut jam solliciti sumus, ordo tractandi exigit, iis enim sublatis, de effectûs extirpatione nullatenus dubitandum.

Causam hujus mali proximam & immediatam esse *solutionem continui* dicimus; quotiescunque enim in colo adest solutio continui, dolor suboritur, quò etiam prærente, & urgente, de continui solutione non est, ut dubitemus; quippe quæ immediata doloris causa esse consuevit. Solvunt autem continuum quæcunque vel *distendendo*, vel *pungendo*; vel *gravando*, vel *violenter alterando* per calorem & frigus, vel *rodendo* vel *mordendo*, vel *arcendo* vel *inhibendo* excretionem eorum, quæ excerni deberent, in colo agere apta nata sunt.

MEDIATÆ sunt vel *proximiores*, vel *remotiores*.

Inter

Inter PROXIMIORES sunt I. FLATUS: qui collo inclusi, exitumque non habentes illud distendunt, & dolorem ob hanc continui solutionem, pariunt: & quidem eò intensiorem, quò sunt crassiores & copiosiores: à debili calore, ex materiâ plerunque phlegmaticâ & aquosâ geniti, vel cruditate procreati: aut ex cibis & potibus flatulentis suscitati.

II. HUMORES & quidem I. *Pituitosi* & viscosi, qualis est Pituita vitrea à *Praxagora* ita appellata, quod colore & substantiâ fuso vitro sit similis, quâ de imprimis vid. *Ant. von der Linden / select. Med. sect. 6. §. 9.* Equidem plurimi hanc non tam in cavitate intestinorum, quàm potius inter coli tunicas contineri perhibent, haud credibile cum *Sennerto lib. 3. part. 2. sect. 2. cap. 2.* censentes, dolorem, à quo perforari quasi intestina videntur, excitari tantum à pituita, intus cavitati intestinorum adhærescente, eaque refrigerante, si quidem causa illa non in tenuibus, sed crassis intestinis potissimum consistit. Tenuium enim intestinorum tunicæ rarâ tenuique substantiâ constant, ut non diu ejusmodi causas continere possint Hinc probabile esse, frigidos ejusmodi & viscidos humores, ac flatuosum Spiritum in corpore crasso densoque genitum & egredi nequeuntem, dolorem excitare, vehementem quidem ob maximam partis, in qua continetur tensionem, longum verò seu stabilem, quia difficulter evacuatur, ob corporis ambientis crassitiem & densitatem vid. *Galen. 6. de loc. aff. c. 2.* Qui quid verò hujus sit, non possumus non subscribere experientiæ, quâ & *Fernel. probat l. 6. patholog. c. 9.* in ipsa quoque Coli intestini cavitate materiam pituitosam & viscidam collectam, & fæcibus circumvolutam copiosè

iosè rejectam fuisse. Vitrea pituita etiam violenter al-
 terando illorum causa est. Frigidissima enim est, inquit
 Galen. *lib. 2. de loc. aff. c. 5.* Addit insuper sibi ex illâ vehe-
 nentissimum aliquando dolorem accidisse, adeò, ut
 crederet se infimo in ventre terebrâ perforari. Dolorem
 autem tam vehementem sentit colon, quia est pars
 membranosa, membrana siquidem est ædæquatum ta-
 ctus organum.

2. BILIS etiam malum producere & potest & fre-
 quenter solet. Hoc autem nomine humores calidos te-
 nues & acres intelligimus, hi enim à natura, veluti inuti-
 les, ad intestinum colon protrusi, membranas & venas
 ejus distendunt & lancinant, adeoq; tum doloris tum alvi
 suppressionis causa sunt. Dum enim dicto modo fibras p.
 n. afficiunt, illæ officium suum in protrudendis fæcibus
 ritè peragere vel naturaliter se constringere nequeunt,
 hinc accidit, ut quandoque glandes & clysteres, inver-
 so scilicet motu peristaltico, per vomitum rejiciantur.

Materia hæc interdum cum acredine dispositio-
 nem scorbuticam, vel etiam malignitatem & contagium
 conjunctum habere potest, uti meminit Ægineta *lib. 2.
 cap. 18. & lib. 3. de remed. cap. 43.*

Succus quoque Pancreaticus ex mente *Sylvii* ac-
 cufare posse videtur, quatenus acidus nimis generatur,
 ut ita alvum adstrictiorem non solùm reddat, sed &, præ-
 primis cum pituitæ viscidæ adjungitur, unà cum ipsa in
 flatus mutatus, intestina distendendo & perterebrando
 tormina in ventre excitat.

III. FÆCES quoque RETENTÆ dolori coli-
 co non rarò ansam præbent. Quodsi enim flatibus &
 humoribus exitus non detur, colon eo magis distendi-
 tur,

B tur,

tur, & dolore afficitur. Retinentur autem fæces, quando calore existente debili, à materia vitiosa exsiccandi vim habente exsiccantur, indurantur; vel etiam quando naturali suo clystere (bilem ita vocare solent) destituuntur, atque ob hujus defectum, alvus segnior evadit. Idem & ab aliis corporibus duris, variis, & concretis oriri potest, dum scilicet vel viam occludendo, vel distendendo colon, dolorem pariunt. Lapides etiam varii generis figuræ & magnitudinis, ut in partibus aliis, ita & in intestinis generari posse Schenck. *lib. 3. obs. pag. 387.* ex multorum Autorum scriptis probat.

IV. COLI INFLAMMATIO ad producendum malum hoc etiam apta est, quatenus sanguis ibidem, seu ob copiam seu ob tenuitatem effusus, vel ob dolorem gravem, qui præcessit, attractus, aut ab alia læsione intestinorum eò concitatus, tunicas coli distendit, atque continuum solvendo dolorem parit.

V. VERMES: qui si fuerint numerosi non solum pungendo & mordendo, sed etiam obstruendo, & sic impediendo, quo minus fæces ac flatus per alvum egredi queant, dolorem causantur. Confer. Hild. *Fabrit. cent. 1. obs. 57. Forest. l. 21. obs. 4.*

Chymici colicæ causam spiritibus Salium resolutis vel coagulatis adscribunt. Quercetanus in consil. de arthrid. acutissimas & acerbissimas tincturas salium per omnia penetrantes accusat: quo ipso tamen à Galenicis non tam re, quam nomine & verbis dissentire videntur,

CAPUT IV.

Causas mediatas remotiores ex rerum Naturalium, Non naturalium & Præternaturalium classe recenset.

Remotiores causæ, quæ ad colicæ generationem facere queunt, juxta triplicem rerum naturalium, non naturalium & præternaturalium ordinem commode recensentur. Et quidem

Ex RERUM NATURALIUM numero sese offert Temperamentum totius frigidum & humidum, interdum cholericum, quorum unumquodque juxta humoris, quem progenerat, indolem, ad colicos dolores disponit.

Angustia etiam intestini coli, naturalisque ejusdem debilitas, fæcibus & excrementis tum remorandis, tum non ritè segregandis antam dare possunt.

Inter NON NATURALES agmen ducit AER, ilque 1. CALIDUS & SICCUS, qui calefaciendo, & humiditates eliciendo, atque absorbendo, alvi excrementa indurat, & ad exitum ineptareddat. Excrementis retentis & quotidie auctis, intestina gravantur, flatus retinentur, colon distenditur, & colicus invehitur cruciatus. 2. FRIGIDUS, isque intensus, qualis tempore brumæ ac spirante Aquilone esse solet. Hic enim teste Hipp. aph. 4. & 17. sect. 3. alvum siccam duramque reddit. Quoties etiã internus obtunditur calor, sicque læsâ coctione multorum excrementorum proventus colligitur, nõ levis hiæ cruciatibus ansa præbetur. 3. *Occulto inquinamento* pollutus aer, colicam epidemicam & rheu-

maticam excitare solet, qualem notavit *Ægineta lib. 3. de re med. cap. 43.*

CIBI acres, mordaces, frigidi, duri, coctu difficiles, lenti item, crassi viscosi & glutinosi, ad strictorii, qui acerbissimi vel austeri. Primi enim sibi similes humores profertur: ipsi quoque vim mordendi & corrodingi habent, & sicut reliqua intestina, ita & colon afficiunt: Reliqui verò obstruunt, alvumque constipant: unde contenta manent, gravant, distendunt, flatus excitant, qui multoties colici cruciatus causæ sunt. Huc pertinent etiam cibi flatulenti, vina cruda & acida, acetum ipsum, quod acre & mordax. Ex quibus flatulenti distendendo: reliqui pungendo rodendoq; dolores colicos inferunt.

POTUS. Cerevisia recens non probè defæcata, vinum hornum & mustum, ex cujus nimio potu quendam colico dolore affectum fuisse memorat *Hildan. cent. 2. obs. 65.*

Occurrit etiam **IRA & EXCANDESCENTIA**, quæ bilem maximè inflammat, eamque in non paucis ad intestina detrudit, & colicam invehit.

Tandem etiam **OTIUM & VITA SEDENTARIA** in causa est. Alvum enim sistit, excrementa illius remoratur, facit quoque ut calor torpescat, minus concoquat: ex quo cruditas succrescit, quæ, quia cum flatibus est conjuncta, non mirum si colicum dolorem excitare soleat.

RES PRÆTERNATURAM occasionem aliquando præbent.

Ex herniâ inveteratâ, in viro militari colicam sæpius obortam observavit *Lotich. lib. 4. obs. cap. 6. obs. 8.*

Febris tertiana sæpe ob imperfectam crisin symptomaticè

maticè materiæ morbificæ partem ad tunicas protrudit, & colicam excitat, uti eleganter edocet Spigel. *lib. de feb. semitert. cap. 13. Lotich. l. c. obs. 2.*

Intestinorum convolutio, & coalitus post ulcera uti exemplum refert Argenterius *lib. 2. cap. 10.* eundem effectum edere possunt.

CAPUT V.

Differentias proponit.

Differentias Colicæ ex iis, quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt, facillimè colligere possumus.

I. RATIONE SUBJECTI, sentitur dolor colicus, vel in parte abdominis superiore, vel inferiore, vel anteriore vel posteriore: latere dextro vel sinistro, vel in una parte vel in pluribus.

II. RATIONE SPECIEI DOLORIS, alius est *tensivus*, alius *gravativus*, alius verò *punctorius*, de quo superius ex Gal. 2. *de loc. aff. lib. 5.* dictum est.

III. RATIONE VEHEMENTIÆ vel est *intensus* admodum, vel *remissior*: scilicet pro qualitate & quantitate causæ, & numero adjunctorum Symptomatum.

IV. RATIONE MOTUS vel *vagabundus* est, locumque mutat, vel *firmus*, stabilis fixusque uno in loco aliquandiù manet, præsertim in latere sinistro propè lienem, ubi colon angustius redditur.

V. RATIONE CAUSARUM varius est & multiplex, quia causæ illius sunt plurimæ superius recensitæ.

VI. RATIONE MODI GENERATIONIS est vel *πρωτογενής*, qui alium affectum non est secutus, vel

ἰστρογενής, qui ab alio affectu originem traxit. Ad hanc differentiam referri potest & illa, qua alius est ἰδιοπαθικός, alius συμπαθικός: quorum is propriè colii vitio genitus est: hic verò ab aliarum partium ægritudine productus.

CAPUT VI.

signa Diagnostica Pathognomica exhibet.

QUOD Naucerus est in fluctuum pelago, illud Medicus est in morborum Oceano. Quemadmodum enim ille ad scopulos, syrtes, scyllas & charybdes studiosè evitandas, cynosuram suam sequi, amissim inspicere, atque adeò totum iter, juxta indicem magneticam diligenter instituire necesse habet: ita hic ne in sedulâ morborum dignotione fallatur, aut errorem committat poenitendum, optima signorum cognitione instructus sit oportet: *hanc enim qui habuerit, is solus, juxta Senis nostri effatum, curationem ritè potest aggredi.*

SIGNA autem PATHOGNOMICA, quæ hoc in affectu adsunt, sunt vel GENERALIA, qualia sunt dolor circa colii regionem fixus, vel secundum ductum colii vagus & instabilis. Deinde VOMITUS, vel saltem ad hunc magna propensio: quia ventriculus in consensum ab intestinis trahitur: idque ob vicinitatem & generis societatem. ALVI CONSTIPATIO, propter obstructionem à fæcibus siccis atque induratis, vermibus numerosis, tumorem aliquem in intestinis vel extra eadem natum, qui cavitatem intestinorum comprimit atque coarctat. SITIS, non tam propter febrilè calorè qui rarò adest, quàm potiùs propter materiam calidam, salam, acrem

crem aut amaram. **INQUIETUDO & CORPORIS HINC INDE FACTA JACTATIO**, ita ut æger modò in ventrem, modò in dorsum, modò in alterutrum latus se contorqueat. Urgetur enim à dolore, nec uno in loco manere potest, quia credit, se hac situs mutatione levamen aliquod inventurum. **VIGILIÆ** quoque se comites adjungunt, quoniam adeò interdum dolor ægrotantem excruciat, ut somnum capere nequeat.

Vel **SPECIALIA & PROPRIA**, quæ speciei causam detegunt, & quidem

Si Colica producta sit à **FLATIBUS**, cognoscitur, quod valdè sit instabilis, audiantur ructus & murmuta, æger ructibus emissis allevietur, & imprimis quando cibi & potus flatulenti præcessere, ut sunt uvæ, mustum, cerevisia recens & fæculenta &c. hæc diagnosi confirmatur.

Si à **PITUITA**, humoreque crasso & inter tunicas hærente proveniat, aderit vomitus pituitosus, dolor fatigatus, terebræ perforanti similis, ob tunicarum violentiam eò loci, ubi pituita ista hæret, distensionem. Urina cruda & alba, victus item pituitam generans præcessit.

Si à **BILE**, aderit oris amaror, dolor vellicans, pungitivus, sitis, vigiliæ, vomitus & singultus nonnunquam, alvus adstricta, urina ignea, rubicunda cum ardore profiliens, læditur æger ab hac causa colicam patiens ab iis, quæ aliàs in colica à flatu & pituitâ prodesse solent, contra profunt refrigerantia, sæpe conjunguntur febres tertianæ continuæ, duplices, nothæ.

Si à **SCORBUTICA** colluvie malum proveniat, aderunt signa scorbutica, de quibus consulatur Severin. *Eugalenus lib de Scorbut. pag. 86. & seqq. & alibi passim.*

Si sit ab **EXCREMENTIS INDURATIS** dolor aderit gravativus ut & tensivus, præcessit victus adstringens,

gens, nimis siccus, exercitatio nimia, & similia fæces indurancia solum contulerunt.

Si INFLAMMATIO in causa fuerit, tunc ardor percipitur intus: febris urget: dolor stabilis est, fixusque uno in loco, isque vehemens & pulsatorius, præsertim si inflammatio sit biliosa, vomitu quandoque rejicitur bilis fitis urget inexplebilis: nauseabundus stomachus, cibum respuit & averfatur, alvi excrementa ob calorem ita exsiccantur & indurantur, ut ægerrimè egeri queant.

Si à VERMIBUS oriatur malum, propria vermium indicia præcessere, ut noctu stridor dentium, morsus & vellicatio in intestinis, insomnia turbulenta, pruritus narium, sitis, nausea, & aquosi humoris ex ore profluvium, oris graveolentia, & alia adhuc quæ ex loco de vermibus peti possunt.

CAPUT VII.

Signa Diagnostica *Distinctiva* proponit.

Circa *Distinctiva* signa sedulò observandum, quomodo colici dolores differant ab *Iliacis*, *Nephriticis*, *Dysentericis* & *Hystericis* cruciatibus, hi enim affectus Colicæ passioni maximè cognati sunt.

Ab *Iliacis* discrepant 1. *ratione loci affecti*. Utriusque enim affectus nomen indicat, diversa plane esse eorum subjecta. 2. *Ratione accidentium*, minor est suppressio alvi in colica, quàm in Ileo, minor quoque ibi nausea & vomitus ægrum affligunt, Cardiogmos quoque iliacos miserimè excruciat, non ita colico dolore laborantes, neque his, uti quidem iliacis anima fætet, quemadmodum hos non æquè, uti illos, injecta clysmata & suppositoria

toria juvant, excrementa autem alvina in ileo superas, in colicâ consuetas petunt vias.

A *Nephriticis* diffident 1. *Situ doloris*. Renum dolor magis sentitur ad partes posteriores, ad regionem lumbarem ac dorsum vergens, verusque inguina excurrens. *Colicus* contra, uti suprâ latius, coli ductum insequitur. 2. *Proprietate doloris*. Dolor in *colica*, sive tensivus sive punctorius fuerit, intensior, *Nephriticus* verò gravativus est & mitior, utrumque propter diversam subjecti constitutionem. Colon enim præditum est sensu exquisito, obtusiore autem renes. 3. *Permanentia doloris*. Fixus & stabilis semper manet dolor *Nephriticus*, donec calculus secundum ureteris ductum in vesicam delabitur, errans autem & vagabundus ut plurimum est *colicus*. 4. *Excretis*. In *Nephritide* venter vel levi clysmate irritatus se se exonerat, molliora sunt excrementa, urinæ vel supprimuntur vel minguntur primò claræ, tenues & aquosæ, postmodum turbidæ, crassæ, arenosæ, interdum cruentæ: ut in *colicâ* alvus non ita facile laxatur, nec excrementa mollia, nec urina omnimodè suppressa, aut tali modo eddita.

A *Dysentericis* etiam differunt. Etsi enim quadamenus sint persimiles, in *Dysenteria* tamen præter intestinorum dolorem, etiam adest exulceratio, cum cruentâ lvi dejectione, estque alvus in eò perpetua aperta, quorum nihil accidit in passione *colicâ*.

Ab *Hystericis* distant, sequentibus notis 1. quod dolores *hystericis* inguinibus & coxis communicentur, ac supra has non facilè ascendunt. 2. Quòd interdum à stragulatione ab utero superveniant, qui in colicis nō apparent. Quòd illi tūm solum excrucient, quando vel præcessit artus, vel instant menses, aut iidem supprimuntur.

Prædictionem Salutis & mortis longitudinis
brevitatis, modumque solutionis seu
eventus explicat.

S Equitur nunc Prognosis, quæ futura prospicit: h
Ægrotospem, Medico autem fidem cum affer
cautè instituenda est. Igitur, quò minus à scopo aber
mus, vestigiis practicatorum inhærebimus. Ex hor
mente jam dicimus, de præsentia affectu, quod licet n
semper funestum afferat exitum, eò tamen maximè n
gnus dici mereatur, quoniam dolor omnes vires ac S
ritus dissolvit & dissipat, & partes principes in conse
sum trahit; ita ut Trallianus *lib. 10. cap. 1.* rectè dixit
quod interdum tam acerbus sit, ut illi, quos exagitat, p
tius mori malint, quàm diutius cum eò conflictari.

Major spes affulget, si secundum umbilicum, co
que finem dolor consistat, quò Clysterum vis magis p
venire potest. Deinde si dolor sit remissior, nec consta
neque uno in loco pertinaciter hæreat, sed nonnunqu
intermittat, excrementa non prorsus sint suppressa: l
vamen æger etiam percipiat post vacuationem in flatu
& superfluitatum aliarum in colo contentarum, item
causa in cavitate coli hærerit. Pejor est colica, majus
vitæ periculum minatur, quando dolores sunt acerb
mi, uno loco fixi, perpetui & constantes, excreme
planè detinentur, præterea urgent vigiliæ, sequitur
gultus, vomitus extremorum refrigeratio, sudores fr
di, syncope. Si causa admodum sit contumax nec rem
diis cedat malum, in hydropem siccum terminare so
teste Hipp. *aph. 4. s. 4.*

Colica à pituita & humore crasso intra coli tuni-
cas concluso, pertinax est, ob partis, in qua humor con-
tinetur crassitiem & densitarem, humorumque visci-
ditatem.

Dolor colicus ab humore biliioso acri & scorbutico
contumax est, & si diuturnus sit, in Artbritidem, dorsi do-
lores & Paralyfin degenerare solet *autore Ægineta lib*
3. cap. 13. & 43. EUGALEN. d. l. pag. 114.

Quomodo autem hæc materiæ metastasis fiat, mul-
ti quidem mirantur, sed non recte rimantur. **Casp.**
Hoffm. *in consil. medic. à Laurentio Scholzio editis, consi-*
lio 173. putat, non eandem materiam, quæ doloris causa
fuit, ab intestino colo ad exteriores partes mitti. Et ut
jam Paralyfin à colica inductam afferamus, è cerebro
eam dependere affirmant. Verùm experientia testatur,
in hâc Paralyfi terè principium nervorum non lædi, ca-
putque ab omni dolore, & alio affectu esse vacuum, quod
certè accidere non posset, si materia ei, quæ tantos in in-
testinis dolores excitat, similis in eo hæreret. Deinde
Paralyfis hæc ab illa, quæ à cerebro excitatur, multùm
differt. Paralyfis enim illa caret omni dolore, imò non
rarò in ea etiam sensus perit, nec alios affectus secum
conjunctos habet, nisi quod Apoplexiam plerumque
sequitur, in hâc vero paralyfi sæpe dolor gravis cum im-
potentia movendi conjungitur, eademque in convul-
siones interdum transire solet. Illa Paralyfis est diutur-
nus & curatu difficillimus affectus: hæc verò non adeò
contumax est, sed medicamentis facile cedit. In illa ce-
rebrum, in hac neutiquam est affectum. His igitur præ-
missis concludimus materiam hanc neque à cerebro,
neque mediante cerebro & nervis partibus paralyticis

communicari, sed illam ipsam materiam, quæ dolorem colicum excitavit ad articulos transmitti. Similem translationem notat *Cous in coacis prænot. aph. 462.* inquit: *Dysenteria intempestivè suppressa apostasin facit in lateribus, visceribus & costis.*

Si igitur humores, qui Dysenteriam excitant, per metastasin in aliis membris varios affectus excitant: cum non iidem etiam in articulos translati paralyfin excitare possent?

Ab inflammatione excitatus dolor colicus maxime periculosus, quia in ileon transitionem minatur. Et quanquam, qui in ileo est, periculosior sit: tamen nec ille, qui in colo est, periculo caret; præsertim si inflammatio tanta sit, ut vesicam in consensum trahat, & inde supprimatur urina, si verò illa in abscessum degeneret, plerumque lethalis est, teste *Guilermo Fabricio cent. 2. obs 46.*

CAPUT IX.

Methodum medendi detegit.

Perlustrato nunc theorias theatro, ipsum nunc accedemus praxeos armarium, ut exinde tela, quibus præsens affectus debelletur, depromamus. Cum verò omnis methodica curatio, autore *Galeno 2. M. M. 6. indicationibus & instrumentis*, hoc est, auxiliorum materiâ absolvatur, utpote sine quâ, eodem adfertore *3. m. m. 1. Medicus*, CITO, TUTO, & JUCUNDE curare nequit, proinde *Pergameni* monitum observantes, affectus hujus curationem ita instituemus, ut primò ponamus *indicationes*, postea quoque *auxilia* hisce respondentia subjungamus.

Est verò triplex indicatio; **CURATORIA**, quæ ipsum affectum cum continente causa respicit; **PRÆSERVATORIA**, quæ antecedentes causas & diversæ dispositionis apparatus spectat; **VITALIS** denique quæ omnes ad virium conservationem operationes dirigit.

Quodsi jam affectûs nostri naturam examinemus, deprehendemus, dolorem sive tristem sensationem utramque quod dicitur, paginam in illa absolvere; & hæc nisi esset, nec Medicus unquam fortè accerseretur. Pertinet verò dolor, ceu notum est ad Symptomata, quorum tamen in indicationibus recensitis non videtur ulla haberi ratio; verùm enim verò, præterquam quod Symptomati mitigatio debetur, quæ curationi subalterna est, urgentiori sanè illicò occurrendum, siquidem causæ rationem obtinet, & malum suâ præsentia vel producere vel augere potest.

Tota itaque curatio hinc peragi posse videtur; Ut primò Symptomatibus, si valde urgeât, anodynis occurratur. Secundò causæ, quæcunque sint, convenienter removeantur. Tandem tertio viribus legitimâ victus ratione prospiciatur.

CAPUT X.

Anodyna proponit.

Postquam de Indicationibus dictum est, nunc etiam de præsidiorum materiâ videbimus. Sequuturi autem ordinem, cujus modo mentionem fecimus, primò urgentioris Symptomatis mitigationem cogitabimus: cum non raro tam acerbus sit dolor, ut omnem ad se curationem trahat. Proderunt hic Clysters ex lacte parati,

lac enim universale anodynum est, & pro renatâ, ol. lil.
alb. viol. & similia addi possunt E. g.

℞. Rad. alth.
lil. alb. ana ℥ss
Flor. violar.
verbasc.
chamom. an. p. j.

Herb. chamill.
veronic.
alth. an. M^{ss}

Sem. lin. ℥j
fenic. ℥iij

Coquantur in s. q. lactis

Colatur. ℞. ℥x.

in quibus dissolv. ol. viol.

lil. alb. an. ℥iij.
Chamom.
aneth. an. ℥vj.

Vitell. ov. N. j.

M. F. Clyster.

Vel etiam omissis istiusmodi herbis solùm lac usur-
pari potest; sed Clysteres purgantes, tanquam suspectos
& dolorem exacerbantes, hic rejicimus. Quibus parum
conferentibus ad narcotica quoque, sed prudenter con-
fugiendum est: ubi Extr. Croc. philon. Rom. requies Ni-
colai & similia ab Autoribus commendantur. Omnibus
tamen palmam præripit laudanum opiatum ritè præpa-
ratum, quod cum conservis & Electuariis commode ex-
hibetur. Interim alia quoque prius tentare licebit, ut vi-
num malvat. ol. amygd. d. & similia E. g.

℞. Vini

℞. Vini malvatici ℥iij
 ol. amygd. d. ℥j.
 sperma. ceti ℥j.
 M. F. Haustus

Sig. Träncklein auff 1. mahl.

Addi potest aq. camomill. melilot. item pulv. aurant. pulv. testicul. equin. quem tanquam prælentissimum remedium ad colicam, idque in semetipso, expertum commendat *Rodericus à Fonseca tom. 2. consil. 82.*

Si arriserit bolus

℞. Conserv. ros. ℥j.
 Magist. perl gr. v.
 laudan. opiat. gr. j.
 M. F. l. a. Bolus

Sig. Schmerzen stillender Zucker auff 1. mahl.

Externè quoque proderunt facc. ex sem. mil. cum avena infartagine bene calefact. sacculi ex herb. camomill. abrot. flor. camomill. sambuc. melilot. sem. lini & aliis in lacte cocti. Abdomen quoque inungi potest ol. camomill. anet. & aliis.

Observandum tamen in narcoticis, ne viribus fractis & morti vicinis exhibeantur, alias enim viaticum sunt ad mortem, & pro *ναρκώσες νέκρωσιν* afferre solent.

CAPUT XI.

Causarum ablationem docet.

CUM dolor colicus à variis ortum ducat causis, & modo humores, ii que diversi, modo etiam flatus in intestinis tristem sensationem causentur, ad illarum quoque ablationem diversis utendum remediis.

Cum

Cum autem flatus plerunque colicæ passionis auctores sint, illorum imprimis ratio habenda erit, ubi flatus discutientia seu carminativa tam *interna*, quàm *externa* in usum vocanda sunt.

Quoad *interna* præstant Elæosacchara, aquæ & syrupi carminativi, ex quibus variæ mixturæ confici possunt, e.g.

℞. Aqv. flor. chamomill.
 melilot.
 carminat. Dorncreillij an ʒj.
 cinam. ʒij. vel iij.
 Syr. calam. aromat. ʒβ
 De alth. Fernel. ʒij
 Spir. nitr. ʒj.

M.S. Mixtur davon bisweilen ein Löffel voll.

Item;

℞. Sacchari ʒjβ
 ol. fœniculi
 succini
 macis
 carvi an. gt. vj.
 cinam. gt. iij. vel v.
 F.l.a. Elæosaccharum.

Sig. 3. Messer-Spißen voll auff 1. mahl detur in vino calido.

Externè præter clysteres ex vino malvatico paratos, proderunt quoq; qui ex carminativis constant, e.g.

℞. Rad. polypod.
 helen. an. ʒijj.
 Herb. malv.
 organ.
 calament,

hyssop.

hyffop. an. M^{ss}

Summit. anet.

cent. min. an. P. j.

Bacc. laur. ʒj^{ss}

Sem. anisi

carvi

cumini an. ʒ^{ss}

Coqv. in ſq. aqv. ſ.

Colatur. R. ʒx

dissolv. in illis Elect. diaphænic.

de bacc. laur. an ʒ^{ss}

ol. anethi

chamom. an. ʒiij

M.F. Enema.

Item inunctiones ex ol. camomill. anet. destillat. anet. carvi &c. item Emplastrum de crusta panis, de baccis lauri, idque generis alia. Laudem hic quoque merentur sacculi ex flatibus discutientibus in vino coct.

Postea quoque blandè purgantia usurpari possunt, ut folia senæ infusa in decocto aliquo carminativo, quales formulæ apud *Riverium*, *Platerum* aliosque passim occurrunt.

Quodsi verò humores sint viscidi lenti & crassi, præmissâ quoque convenienti præparatione, expurgari debent, *pituitam* evacuantibus, quorum formulæ videantur apud Practicos.

Sibiliosi fuerint humores, præmissis clysteribus emollientibus refrigerantibus & bilis acrimoniam obundantibus, evacuandi sunt. Exempli loco sit sequens Clyster:

D

R. Rad.

℞. Rad. alth.
 acetos.
 liquirit.an. ℥ij.
 Herb. malv.
 viol.an. Mß
 Flor. nymph.
 chamomill.
 viol.an. Pij.
 Sem. 4. frig. maj. an. ℥ß
 Prun. dulc. nro. vij.

Coqv. in s. q. aq. f.

Colatur. ℞. ℥x.

in quibus dissolv. Elect. diaprun.

cast. pro clysteribus an. ℥ß vel ℥vj.

ol. chamomill.

viol. an. ℥ij

M. F. Clyster.

Deinde ut biliosus humor evacuetur, sequens potius
 tiuncula propinari potest:

℞. Passul. min. ℥ß

Flor. cordial. an. P. j.

incisa coqv. in s. q. seri lactis caprini

in colat. ferventissimâ infunde

Rhab. electi ℥ij.

cinam. acutissimi ℥ß

stent in infusione per noctem, manè ebulliant

leniter in colat, dissolv.

pulp. tamarind. ℥ß

Tartari vitriolati gr. v.

M. Sig. Laxir Träncklein auff 1. mahl.

Scorbutica colica requirit antiscorbutica, sine quibus

bus frustra alia adhibentur : horum catalogus videatur apud *Macasium* & alios.

Si à fæcibus exiccatis atque induratis oborta fuerit colica , clysteribus emollientibus & medicamentis alvum laxantibus utendum est : Prodest hic pulp. pass. min. & major. item Electuar. de Tamarind. cum fol. sen. In clysteribus commodè usurpari potest , unguentum clysmaticum &c. Nec exiguam in hoc casu utilitatem afferet , inunctio abdominis cum oleis emollientibus v. g. ol. amygd d. lil. albor. item butyro non salito &c.

Humores biliosi ubi *inflammationem* quoque excitaverint, ea tunc observanda, quæ in aliis inflammationibus usu veniunt, habito semper partis affectæ respectu, sed plura de his addere instituti nostri ratio non permittit.

Restat explicanda curatio colicæ, tum quæ à *vermibus* fit, tum quæ à *calculo*. In priori exhibebimus medicamenta vermes necantia; sic tamen ut semper addantur eosdem educentia. Multum valet hiera picra Galeni, inprimis si ei incorporentur alia, ut cornu cervi, corallina, scordium, santonicum & sic in bolum redigatur.

Per inferiora infundatur Clyster, quo viæ lubricæ reddantur, vermesque si ferè in globulum coierint (id, quod experientiâ observatum est) tantò rectius & minori cum dolore ejiciantur. Huic tamen bene stimulantia addenda, cum ut plurimum vis excretrix debilis esse soleat.

Quoad *calculum* omnis curatio in eo vertitur, ut intestina lubricentur.

Sunt & præter hæc & remediorum quædam, quæ specificâ & occultâ qualitate, colicam propellere creduntur, inter quæ laudatur à *Galeno* stercus lupinum, in

quò ossa continentur, si hujus arefacti & in pulverē redacti ʒij. cū vino crebrò bibendæ offerantur ægroto. *Rhases & Avicenna C. C.* in potu exhibent. Alii dant talos fuillos, intestina gallinæ. Celebratur & lorum sive cingulum ex corio cervi factum, cui stercus lupinum est insutum, si ileis & ventri circumligetur. Sic succus expressionis stercoreis equi non castrati avenâ nutriti, sic decoctum convolvuli segetum, sic galarita avis uſta, aut elixacum jure galli: sic lumbrici terrestres exsiccati: sic corallia trita, jecur caprinum adustum, pastinaca sylvestris cocta & comesta, & quæ sunt ejusmodi alia, ab Autoribus commendantur.

CAPUT XI.

Diæteticum aperiendo fontem Dissertationi finem imponit.

TAndem ad Diætæ ordinationem compellimur, cuius necessitatem, *Galenus* indicans, *frustra*, inquit, *illis optima medicamenta præscribuntur, qui Diætam servare nolunt, aut non possunt.*

Necessarium autem esse Medico hanc doctrinam *Hipp. 6. Epidem. 7.* docuit, admonens: Victus rationes quantum fieri potest, esse cognoscendas, cum eas non nosse multarum calamitatum causa sit. Hinc iterum *Galenus com. in lib. de vict. rat.* se solâ ratione victus morbos curasse scribit.

Agmen in fonte Diætetico ducit

I. AER: illi qui ad flatulentam & pituitosam colicam sunt propensi, eligant aërem lucidum, ad calidum & siccum vergentē, & corpus tegumentis bene muniant. Si ab inflammatione, & bile eligatur aër frigidus, etsi naturâ
haber

haberi non possit, beneficio aquæ frigidæ vel rosarum frigidarum herbarum atque florum in conclavi repositione, æstatis tempore emendari potest.

II. CIBUS & POTUS: *In flatulentâ colicâ* cibus præscribatur parvus, simplex *ἑυπεπτος* ac *ἑυχυμος*, qualis caponum & pullorum, elixus potius, quàm assus, & cum pingui jusculo, & incoquendo thymum, fæniculum, hyssopum, saturejam, inter cætera flatus discutientia anisum commendatur, quod tum ventriculum & intestina roborat, tum flatus egregiè discutit. *Potus* sit *οἶνος ἀνωδης*, tenuium partium, non rubrum, quod adstringit: *In biliosa* victus sit tenuis & refrigerans ut ptisana. Vinum sit album, clarum, *ὀλιγοφόρον*. *Si à vermibus* pisces & lacticia vitentur, ut & legumina, potui ea quæ vermibus contraria sunt admisceri possunt. *Si ab inflammatione*, victus sit refrigerans, à vino planè abstineat æger, & julepi cui syrupi refrigerantes ut granatorum & alii sunt admixti, profunt. *Si à scorbuto*, salsa, ex fumo indurata, præ reliquis, fugiantur.

III. SOMNUS & VIGILIÆ, quæ si moderatæ sint, sanitatem tuentur, si verò modum excesserint, malum inquit Hipp. 2. *aph.* 3. ideoque ut in his mediocritas tervetur, studendum.


IV. MOTUS & QUIES variant, in inflammatione quies, in obstructione motus convenit.

V. EXCRETA quæ in primis hîc expediunt, diligenter promoveantur.

VI. Omnia ANIMI PATHEMATA immoderata, quantum fieri potest, evitentur & fugiantur, in primis ira, quæ miris modis biliolos acresque humores commovet.

Et hæc sunt, quæ de Colicæ naturâ & curâ, non eâ, quâ debuimus ἀκριβεία, sed, ut potuimus, pro ingenii tenuitate, proponere lubuit.

Tibi verò, æterne DEUS, qui hæctenus studiis nostris benedixisti, gratias ex intimis cordis penetralibus pro tuâ in hoc opere assistentiâ agimus maximas. Cõcede clementissimè, ut studia nostra in Tui inprimis Nominis Sanctissimi gloriam, ingemiscientis ægroti salutem, nostrumque denique vergant emolumentum!



COROLLARIA.

Num omnis colica transeat in Paresin N.

An dentur morbi incurabiles. D.

An omnis febris initium habeat in corde A.

An impari pilularum numero aliquid tribuendum. N.

An Oculista uti vocantur & Lithotomi sint perfectè Medici N.

An rectè faciant Medici, quando in formulis quantitatem doseos excipientis per q. s. denotant. A.

Q. D. B. V.

VALENTINE tuam *Dolor* medclam
Pofcit COLICUS, & valentiorem
Urgens Symptoma mitigationem!
Sed quorfum properas? dolor remifit,
Ægrotansque valet. Quid ergò reftat?
Cauſſas tollere, ne dolor recurrat,
Nos jubent methodi Indicationes.
Radices igitur, mali que cauſſas,
Affectam que prius dolore partem
Omnem nôſſe decet, dein mederi.
Ascende in cathedram (vocaris, ecce!)
Et Doctõribus eruditionem
Nunc oftende tuam, tuum valorem.
Hic jam verba valent, juvat loquela:
Te ſi præſtiteris virum, favebit,
Et plauſu excipiet chorus Lycei,
Nec non æger & hic & ille doctam
Anhelabit opem. Proinde cauſſas
Nunc ediflere, mox, favente Cœlo,
Admovere ſimul manum licebit.
Noſter interea tuis Apollo
Io! FELICITER! apprecatur auſis.

boni ominis g.

συσσίτω ſuoſ.

LAURENT. Strauß D.

Colicus affectus quid ſit, quantoque dolori
Sit nobis, vellem non didiciſſe nimis.
Ergo Valentini, qui doctè pharmaca contra
Præſcribit, dignus, quem veneremur erit.
Gratulor affectus curam, Medica artis honores
Gratulor eximios! annuat ipſe Deus!

S c

Clariffimo Dn Candidato. feſtino calamo
lub mq; applaudit

M. Antonius Itterus.

In

In studio quantos Medico progressus, AMICE,
Feceris, hoc omnes pagina docta docet.
Præmia nunc dantur sudore, parata labore,
Augeat ex alto JOVA, quod opto, precor.

Hiscæ Nobilissimo Dno Candidato Fautori, Com-
mensali & Amico Suo per aliquot annos in
duabus Academiis ingenuo & probato gra-
dum Doctoralem capeffenti applaudere
voluit, debuit

JACOBUS HERMANNI
Tonningâ Holsatus.

Qua TIBI pro studiis confertur adorea HONORIS
Sitrata! sit felix, NUMINE dante, precor!

Amicæ ad gratulationis ergo mittebat
Haffniâ Giffam

H. Sartorius L.L. Stud.

Virtuti debetur honos, & certa labori
præmia; sic Phœbus, Pieridesque volunt.
Grator pro virtute Tibi nunc præmia Phœbus
ponunt, idona tuo proque labore Deæ.
Grator ritè probans, ut quæ Tibi præmia donant,
pergant innumeris, condecorare modis.

benevolæ gratulat. ergo f. Jenæ
Franciscus Peters Medic. Stud.

Sicut qui fesso preciosas corpore gemmas
Invenit, inventas vendit, & ille suas,
Haud aliter duro cui docta scientiarerum,
Rerum multarum, parta labore fuit,
Ingenii merces exponit, & inde brabea,
Quæ studii assidui præmia, ritè capit.
Hinc igitur meritò Te nunc scandisse Cathedram
Gratulor, & summum, quem capis inde gradum.

FRATRI FRATER

Joannes Valentin. U. J.
Licentiatus.

F I N I S.